18

Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

DYSENTERIA

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET WITTGENSTEINII RELIQVA

PRAESIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE PROF. PVBL. ORD. SERENISS. SAX. DVCVM CONSIL. AVLICO ET ARCHIATRO TOTIVS ACADEMIAE ET FACVLT. MEDICAE SENIORE ACADEM. NAT. CVRIOSOR. COLLEGA

PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO GRADV DOCTORIS

RITE OBTINENDO

DIE XIII. APRIL. M DCC XXXX.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMISIT AVCTOR

GEORG. LEOPOLD. WEYLAND

HANOVIENSIS.

HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

VIRIS
ILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS,
CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS,
INCLYTAE LIBERAE S. R. I.
REIPVBLICAE
FRANCOFVRTENSIS AD MOENVM
PROCERIBVS
SPECTATISSIMIS
PRAETORI,
CONSVLIBVS,
SCABINIS,
SYNDICIS,
SENATORIBVS,

PATRO-

PATRONIS ET FAVTORIBVS
OMNI HONORIS AC PIETATIS CVLTV
PROSEQVENDIS
GRATIAM ATQVE FAVOREM SINGVLAREM,
QVA MIHI PARITER AC FRATRI
IN CIVIVM NVMERVM CLEMENTER RECEPTIS
ADHVC FRVI LICVIT,
HVMILLIME DEVENERANS
HOC SPECIMEN INAVGVRALE MEDICVM
ANIMI OBSTRICTISSIMI MONVMENTVM
SVBMISSA AC DEVOTISSIMA MENTE
CONSECRAT ATQVE OFFERT
ILLVSTRIVM AC SPLENDIDISSI-
MORVM NOMINVM

CVLTOR PERPETVVS ATQVE CLIENS

GEORGIVS LEOPOLDVS WEYLAND.



I. N. I.

§. I.



YSENTERIA exquiſita & proprie dicta eſt febris comitata excretione alui frequenti & torminoſa, tanquam hypercatharſi ſpontanea, ſiue cum cruore, ſiue ſine illo, cum aliis ſymptomatibus, ab his productis, a fermento acri acido-bilioſo, tum in maſſa ſanguinea febrim, tum in inteſtinis irritationem purgantem cum roſione & raſione, efficiente, dependens. Dyſenteria ſpuria autem eſt diarrhœæ gradus intenſior ſine febri, cum torminibus & deiectionibus crebrioribus vel ſine cruore, vel, vaſculis hæmorrhoidalibus ſimul reſeratis, cum eodem, ab acrimonia acido-bilioſa ſenſibili, inteſtina tantum adficiente, proueniens.

§. II.

Veteres dyſenteriæ nomen etiam impoſuere excretionibus ſanguinis per aluum aliis, & cruentas dyſenterias appellarunt, vel cruentas excretiones, ſine vlceratione inteſtinorum, vt quando vel purus ſanguis extraordinarie excernitur, v. g. ab hæmorrhagia narium, vel menſibus, ſuppreſſis, vel a detruncatis artu-

bus, casu ab alto, interdum euenire solet; vel quando instar loturæ carnis excretio fit, vbi fluxus hepaticus postmodum vocatus est; vel, si fæces nigricantes instar picis exeunt, quod ob acorem austerum melancholicum fit, biliosas partes ita tingentem, quorsum etiam referri potest fluxus hæmorrhoidum, tum alias copiosus, tum inprimis torminosus aliquando apparens. Ipsi tamen hæc mala pro differentiis dysenteriæ improprie dictis habuere, & illam tantum proprie dictam vocauere dysenteriam, quæ exulceratio intestinorum esset, fiens nempe, non facta. Per exulcerationem enim hanc nihil aliud intellexere, quam erosionem fortiorem a re acri & corrodente, cum quadam fibrarum absumtione & deperditione, quæ autem aliquando & in veram exulcerationem tandem abire potest. Dysenteria spuria similitudinem quandam cum exquisita habet, ob tormina, ob deiectiones crebriores, interdum & sanguineas, quia autem febris abest, vera & exquisita dici nequit. Ante autem recensitæ excretiones alui sanguineæ huc plane non pertinent, cum absint reliquæ conditiones dysenteriam notantes, vnde & ab hodiernis medicis non sub dysenteria, sed seorsim tractantur & considerantur. Non enim omnes fæces cruentæ signant dysenteriam, vt nec omnis dysenteria cum cruore est.

§. III.

Dysenteriam exquisitam comitatam febrim esse diximus, præuius enim etiam hic est horror & subsequus calor, & statim simul excretio alui molesta adest, quæ non a febri, tanquam symptoma eiusdem, excitatur, nec febrim efficit vel producit, sed comes febris est;

eſt; adeoque vterque adfectus ſimul ægrum male habet, vt id quoque in aliis febribus comitatis, vt inflammatoriis & catarrhalibus, fit, vbi bini adfectus coniuncti videntur. Cum autem excretio alui praeternaturalis magis in ſenſus incurrat, & ægris moleſtior videatur, ſub comite hoc a plerisque conſideratur dyſenteria, inprimis, quia febris mitior quandoque eſt, vt haud ita attendatur. Modo autem hæc non negligatur, perinde erit, ſub febribus, an ſub alui fluxibus, de eadem agatur.

§. IV.

Cum igitur dyſenteria vera nec ſola febri, nec ſola excretione alui frequenti, torminoſa, cum vel ſine cruore, &c. abſoluatur, ſed vterque adfectus vna adeſſe debeat, ſequitur, non vnum ſubiectum principale dyſenteriæ huic poſſe aſſignari. Febris enim ſubiectum eſt maſſa ſanguinea, excretionis autem alui commemoratæ ſubiectum ſunt inteſtina vel tenuia, vel craſſa, vel vtraque, tam ratione fibrarum neruearum, quam glandularum, ductuum & vaſorum; adeoque etiam, vtrumque ſubiectum dyſenteriæ ſimul vt ſit, neceſſe eſt.

§. V.

Febris dyſentericæ cauſa immediata eſt intemperies maſſæ ſanguineæ calida, a fermento rarefactiuo inæquali proueniens. Excretionis alui torminoſæ cauſa immediata eſt irritatio fibrarum neruearum inteſtinalium ſpaſmodica, cum fuſione humorum fermentifica, & apertione glandularum, ductuum & vaſorum inteſtinorum, ſeorſim vel coniunctim, præternaturali. Atque hæ cauſæ ſimul ſumtæ cauſam dyſenteriæ exquiſitæ immediatam conſtituunt. Intemperiem calidam

dam febrilem a fermento rarefactiuo salino-sulphureo inæquali prouenire, in doctrina febrium iam euictum & ostensum est, sine hoc enim non febrilis, sed alia, intemperies calida sequitur. Irritatio fibrarum neruearum sentientium spasmodica tormina efficit; fibrarum neruearum motricium autem propulsionem contentorum, & hinc excretionem, præstat; fusio humorum fermentifica, acrimoniam, tenuitatem, & exeundi ex cauitatibus in spatium intestinorum facilitatem, infert, quam apertio glandularum, ductuum & vasorum præternaturalis, tam ab eadem, quam ab aliis, facta, promouet. Non inepte quidam hanc irritationem purgantem vocant, nam a purgantibus actiuioribus eadem laudata eueniunt, si magis, quam par est, irritant.

§. VI.

Tam febrim, quam irritationem purgantem, efficit fermentum acre acido-biliosum, quod causa dysenteriæ mediata proximior est. Acrimoniam salino-sulphuream fermentiuam in eodem esse, eamque a salibus & partibus sulphureis, tali gradu eminentibus, & proportione huic effectui respondente, dependere, certum est; determinari autem ad numerum & mensuram exacte id non potest, sed effectus id satis docet. Recte itaque cum SENNERTO faciunt, qui purgantibus vehementioribus, rodentibus, helleborinis, esulinis, colacynthiacis, &c. comparare hoc solent. Nam etiam a benignioribus, proprie dictis purgantibus, obseruatum est, quod aliquando hypercatharsin & dysenteriam, vel dysenteriæ similem morbum, induxerint, multo magis vero ab acrioribus id fuit visum.

§. VII. Acri-

§. VII.

Acrimonia acido-biliosa huius fermenti non eundem semper gradum habet, sed, prout salia & biliosae partes magis vel minus concentrata, & actiua, & copiosiora adsunt, eo vel vehementiorem, vel paulo remissiorem, & febrim, & irritationem purgantem, aliosque effectus, edit, vnde symptomata diuersa oriuntur, praeter illa essentialia. Fermentum itaque hoc, ob eminentes acres acido-biliosas partes, in sanguine haerens, motum intestinum peregrinum huic conciliat, vt partes igneae, & partes salino-sulphureae copiosius, quam par est, liberentur & euoluantur, & concentrentur, serosae autem temperantes minuantur, adeoque calor maior praeternaturalis seu febris fit, &, pro gradu acrimoniae huius diuerso, sanguini plus minus resolutio intentatur successiua. In intestinis autem idem obiectum irritans efficit, dum bilem & lympham, illuc accedentem, acriorem, acidiorem, rosiuam reddit, dicto modo; non potest itaque non fieri, quin inde irritatio purgans eueniat, rosio intestinorum, & tormina, abstersio & abrasio muci illorum, osculorumque vasorum reseratio, fiat, aliaque grauiora sequantur.

§. VIII.

Fermentum eiusmodi vel in ipso corpore oritur, vel ex alio corpore aegroto, vbi id iam adest, in corpus sanum recipitur, illud conceptum, hoc illatum vocari solet. Concipitur tale fermentum, si vel lympha blanda ob temperiem aeris calidiorem nimis difflatur, biliosae vero partes acriores & efferatiores, rosiuae, acidae, vna cum lympha residua, reddantur; vel si talia adsumantur, quae particulas acido-aqueas, acres, fermentifi-

cas copiosiores, vel concentratiores, in se continent., Infertur hoc fermentum iam factum per contagium. Hæc autem omnia ad causas mediatas remotiores pertinent.

§. IX.

Ex naturalibus causis temperamentum biliosum & sanguineum viciniora huic malo videntur, inprimis si sanguis vna abundet, quia biliosæ actiuæ partes eminentes tunc sunt, & acrimonia facilius in his augetur. Nullum autem ab hoc malo exemtum est, si inprimis malignius sit. Nec vegeta ætas, quæ alias facilius a febribus corripitur, sola vel frequentius ita laborat, quin promiscue infantes, iuuenes, adulti, & senes ita adficiantur; nec sexus ratio hic habetur.

§. X.

Ex non-naturalibus maxime huc facit aeris constitutio calidior, vnde est, quod inprimis æstiuo tempore, & ordinarie mense Iulio & Augusto, rarissime extra hoc tempus, occurrat, maxime si inæqualis, modo æstuosus, modo frigidus euadat aer, vel austrinus eius sit status. Hieme vero accedente sopiri iterum solet. Cuius rei causa paulo ante fuit adducta. Fructus æstiui vt pruna, cerea, & alia, inprimis non matura, mala persica, cerasa, nuces iuglandes, & eiusmodi alii, aliquando occasionem huic morbo præbent, cum gaudeant partibus acribus fermentificis copiosis, & magis adhuc, si potus frigidus vel fæculentus, vel alias fermentationem facile subiens, copiosius, illis iam adsumtis, hauriatur, qui & per se hic noxius est. Eadem, vt & flatulenta alia, si præsente iam malo ingerantur, grauius illud reddunt, imo, si iam superatum visum fuerat, vt

denuo

denuo redeat, faciunt, ſi admittantur. Plures tamen, ſine vllo talium vſu morbum hunc ſuſtinere coacti ſunt. Hinc fruſtra hi fructus pro ſola dyſenteriæ cauſa a quibusdam ſunt habiti.

§. XI.

Motus nimius, inprimis continuatus, diſſipando lympham blandam, partes acres bilioſas euoluendo & actiuiores reddendo; vigiliæ nimiæ, ira, ſimili fere modo, adfectum hunc promouent, vna cum reliquis. Metus & terror concentrando prius ſpiritus actuationem partium acrium poſtmodum promouent. Transſpiratio inſenſibilis impedita, prægreſſa inprimis euolutione partium acriorum, & diſſipatione temperantium, cum illæ ſeceſſum debitum habere tunc haud valeant, maſſæ ſanguineæ denuo combinantur, &, quoniam eædem particula temperante magis orbatæ ſunt, maiorem vim exercent, & liberationem ſimilium, in maſſa ſanguinea contentarum, præſtant.

§. XII.

Ex præternaturalibus cauſis inprimis eſt contagium, ſive per ſedem communem, ſive per inſpirationem exhalationum talium, ſive per decubitum in eodem lecto cum ægro, ſive alia ratione, miaſma hoc corpori ſano communicetur, cuius receptionem & actiuitatem metus & terror promouere poteſt. Purgantia vehementiora & acria, imo benigniora nimia doſi data, venena corroſiua, arſenicalia, huc quoque referri ſolent. Accuſatur etiam ros acris corroſiuus peregrinus, fructibus inhærens, vbi tamen, cum rariſſime occurrat, circumſtantiæ probe examinandæ ſunt, talis reuera fuerit, an aliæ potius cauſæ dyſenteriam fecerint. Tacemus

alia rariora, v. g. adamantem non ſatis comminutum adſumtum, &c. quæ adferri ſolent, & prudenti inueſtigatione opus habent, num proprie dictam dyſenteriam excitauerint, an minus.

§. XIII.

Spuria dyſenteria ſedem ſuam in inteſtinis tantum habet, adeoque nullam febrim comitem. Immediate eandem efficit irritatio inteſtinorum paulo intenſior, quam in diarrhoea ſimplici. Hanc autem præſtat ſuccus pancreaticus & bilis, acido-acriores tali gradu ſi euaſerint, vnde obiectum irritans conſtituunt. Acrimoniam talem inprimis a diæta incongrua adquirunt, & maxime extra illud tempus, quo exquiſita naſcitur dyſenteria. Crebriores itaque ſedes fiunt, tormina iunguntur, & in quibusdam oſcula vaſorum hæmorrhoidalium aperiuntur, ideoque ſimilitudinem quandam dyſenteriæ veræ præ ſe fert, & nomen ſuum obtinuit.

§. XIV.

Exquiſita dyſenteria differentias quoque habet varias. Ratione moris eſt vel benigna, vel maligna. Benigna eſt, in qua mitior & febris, & inteſtinorum irritatio occurrit, adeoque fermentum acre acido-bilioſum mitius eſt, vnde etiam mitiora coniuncta ſunt ſymptomata. Maligna autem, vbi febris & irritatio inteſtinorum vehementior & periculoſior eſt, grauioraque ſymptomata adſunt, & tunc magis adhuc contagioſa deprehenditur, quod a maiori fermenti acrimonia, & reſolutionem ſanguini minitante, dependet. Ratione cauſæ pluribus communis epidemium in morem non raro inuadit homines, & fere tantum æſtiuo tempore.

pore. Rarius paulo, & ex vitio indiuidui tantum, vnus vel alter ita laborat, reliquis etiam temporibus.

§. XV.

Ratione materiæ excretæ vel rubra vel alba eſt dyſenteria. Rubra dicitur, in qua cruentæ ſunt deiectiones, & quidem tunc vel mixtus cruor eſt ſedibus, vel ſolus ille & merus nonnunquam excernitur. Alba vocatur, quando vel ſine cruore fæces exeuntes apparent, vel quando albida mera, lactiformia, inſtar lactis coagulati, crebrius exeuntia, ſe habent, quod raro fit. Fæces alias, vel cum vel ſine cruore ſecedentes, deprehenduntur pituitoſæ, mucoſæ, bilioſæ, virides, cum ſtrigmentis, variegatæ, purulentæ, aliquando & nigræ ac foetidæ. Sanguis, qui exit, eſt vel dilutior, quod in principio fere fieri conſueuit, prægreſſa materia tenui pituitoſa, aliquantum flaueſcente; vel ſincerus magis, vel congrumatus.

§. XVI.

Tres olim iuxta GALENVM & AETIVM gradus dyſenteriæ veræ, quam pro exulceratione inteſtinorum habebant, ſtatuerunt; primus gradus ipſis fuit, ſi corpora quædam pinguia excernerentur; ſecundus gradus, ſi ramenta quædam ſuperficiei interioris membranoſæ inteſtinorum exirent; tertius gradus dicebatur, ſi aliquid ex ipſa inteſtinorum ſubſtantia abraſum deiiceretur. Atque vltimo in hoc gradu non adhuc in fieri eſſe dyſenteriam, ſed iam factam, adfirmarunt. Recte autem ETMÜLLERVS cum HOLDERHOFFIO de tali exulceratione dubitat, &, non niſi in diuturniore dyſenteria, eaque grauiori, tandem excoriationem, & forſan aliqualem exulcerationem locum habere,

quae in ordinaria non ſtatim ſtatuenda ſit, adfirmat in *Collegio Practico de dyſenteria p. m. 126.* Neque tamen etiam caruneulas tales, quae apud auctores referuntur, quod aliquando excernantur in dyſenteria, pro glandulis inteſtinalibus tumefactis, & morbi progreſſu a ſubſtantia inteſtinorum ſeparatis, vt vult ETTMÜLLERVS, habere poſſumus, ſed potius ſanguinem ita congrumatum & coagulatum fuiſſe, veriſimile eſt. Hoc magis patere potuiſſet, ſi illae particulae, tam membranoſae, quam carneae ſubſtantiae ſpeciem referentes, diligentius & accuratius fuiſſent examinatae, in aqua tepida prius maceratae, & cultro anatomico ſeparatae, vt certi eſſemus, reuera fibroſam ſubſtantiam in iisdem adfuiſſe.

§. XVII.

Adeſſe dyſenteriam exquiſitam, oſtendunt & febris & irritationis inteſtinorum phaenomena. Febrim innuunt horror praeuius, calor ſubſequus, pulſus celer, ſitis vehemens, appetitus proſtratus, inquietudo, vigiliae et ſimilia. Irritationem inteſtinorum docent ſedes a principio ſtatim ſe exerentes; tormina ventris, in primis circa vmbilicum, quae ſucceſſiue increſcunt, et, ſi inſtet deiectio repetens, grauiora redduntur, & hinc iterum paulo leuantur. Deiectiones plerumque copioſae ſunt, ita, vt intra diem et noctem viginti, triginta, quadraginta et plures contingant, nonnunquam ſingulis momentis vrgent, et, ingruente nocte ingraueſcunt. In quibusdam pauciores & rariores, cruentae tamen, obſeruantur ſedes, aliquando ſine cruore. Murmura exaudiuntur ventris, ardor ventriculi, cardialgia, anxietas, accedunt. Frequentius acrimonia magis, quam adflu-

xu,

xu, humorum peccante, ægros torquet teneſmus, & niſu tum alias, tum inani, continuante, & ſæpius repetente, ani procidentia ſequitur, maxime in tenerioribus. Vrina parcior redditur, humido copioſiori per aluum ſecedente, & alias a febri diſſipato ſero, adeo, vt aliquando iſchuria quaſi adſit. His ſi iungamus cauſas manifeſtas prægreſſas, & in his æſtiuum calorem, non poteſt non cognoſci præſentia huius mali.

§. XVIII.

Benigna ſi ſit, omnia dicta moleſta quidem ſunt ſatis, ferri tamen adhuc poſſunt, adeoque mitiora paulo ſunt, nec vires nimis proſternuntur, nec alia grauiora ſymptomata ſe exerunt. Maligna autem plerumque ſtatim febrim vehementiorem, omniaque ſymptomata iam recenſita vehementiora, vires ſumme debiles, breui tempore exhibet, & præterea ſymptomata alia excludit. Faucium ardor, ſiccitas, et inflammatio, ophthalmia, petechiæ, purpura, aphtæ, aliaque accedunt, pulſus inæqualis & debilior redditur. Interdum autem in principio latitat malignitas, non adeo magno apparente calore, nec aliis vehementioribus ſtatim ſe exerentibus, quæ tamen poſtmodum ſe ſatis manifeſtant, vnde cauendum eſt, ne fallamur.

§. XIX.

Spuria dyſenteria ex febris abſentia, reliquisque ſuperius commemoratis præſentibus, cognoſcitur facile, quæ etiam non tantum æſtiuo tempore, ſed quouis alio, occurrit. Nec alias excretiones ſanguinis, per aluum apparentes, pro dyſenteria facile habebimus, ſi omnes circumſtantias rite conſideremus.

§. XX.

§. XX.

Benigna dyſenteria mortem non facile infert, niſi negligatur, & errores praeterea committantur, & latitans maligna pro benigna in principio habeatur. Negligitur autem, ſi remedia apta non ſatis mature in vſum vocentur, vbi in deterius ruit, maligna redditur, & vitae periculum minatur. Maligna autem in dyſenteria ſemper periculoſus & dubius eſt euentus, pluresque inde moriuntur. Maius adhuc periculum minantur, virium maior proſtratio, febrisque vehementior, inflammatio faucium, petechiae, purpura, aphthae. Idem timendum eſt, tenuia inteſtina magis ſi adfecta ſint, quod eſſe intelligitur, ſi tormina magis altius circa vmbilicum haereant, ferocioraque ſint, & paulo tardius poſt dolorem ſedes fiant, cruorque reliquis recrementis magis mixtus ſit; cruor ſincerus, copioſior, corpuſcula carnoſa quaſi, & ſtrigmenta, cum reliquis ſi prodeant, & nauſea, vomitus, vel ſimplex, vel cruentus, appetitus plane nullus per plures dies, ſi adſit. Maxime funeſtum eſt, ſi deliria, motus conuulſiui, ſingultus, niſi ab adſumto cibo & potu tantum, ſed a morbo, proueniat; ſi adſumta fluida non tam deglutiantur, quam decidant cum ſonitu in ventriculum, excreta ſi ſint viridia, aeruginoſa, nigra foetentia, corruptionem notantia; tormina ſubito ſi ceſſent, reliquis tamen grauioribus permanentibus, vt &, ſi ſedes ſine aegri ſenſu prodeant, ſphaceloſum enim ſtatum inteſtinis conciliatum haec innuunt, & ſpirituum deſtructionem, quod & lipothymiae ingruentes, & frigus extremorum cum virium reſolutione, notat.

§. XXI.

§. XXI.

Contraria his ſi appareant, vires inprimis pro ratione morbi ſibi ſic ſatis conſtent, appetitus non prorſus abſit, ſed magis redire incipiat, ructus ab adſumtis eueniat, coctionem ventriculi incipientem innuens, a remediis leuamen ſi ſentiat æger, ſymptomataque ſucceſſiue mitigentur, poſt torminoſam excretionem lactiformes deiectiones fieri incipiant, redeuntis chylificationis nota, melior ſpes adfulget. Robuſtiores quidem melius reſpectiue ferre hunc morbum poſſunt, quam teneriore textura præditi, viſi tamen ſunt iuniores ſæpe præ ſenibus mortui dyſenteria. Grauidarum quoque peculiare robur, hoc malo laborantium, obſeruatum eſt, ita, vt iisdem non facile abortum nec mortem attulerit.

§. XXII.

Spuria dyſenteria cum febri careat, in ſe periculoſa eſſe haud conſueuit, niſi cauſa quædam grauis & rebellis ſubſit, & diutius durans, neglecta inprimis, alia poſt ſe trahat, tale quid præſtantia.

§. XXIII.

Exquiſita dyſenteria inſtar acutarum febrium, die vel ſeptimo, vel decimo quarto finiri conſueuit, quo vehementior autem eſt, eo citius ordinarie iudicatur. Benignior autem itidem vel citius, vel paulo tardius ſuperatur, rarius ad vltimum acutorum terminum perdurare ſolet, quod ſpecialiores circumſtantiæ præſentes determinant. Spuria autem, pro cauſarum diuerſitate, vel breuius cedit, vel longius ægros detinet.

§. XXIV.

Modus euentus ita ſe habet, vt vel ad ſalutem, vel ad mortem, vel in alium morbum tranſeat. Ad ſalutem contingit, ſi fermentum illud acre perfectam disiectionem & correctionem admittat, nec labes enormior inteſtinis, vel aliis partibus, fuerit inducta. Ad mortem autem abit vel reſolutione ſanguinis deſtructiua, vel inflammatione & gangræna inteſtinis conciliata, indeque promte conſequente ſphacelo; vnde & poſt mortem hæc, aperto corpore, fuere inuenta, aliquando & mutuus inteſtinorum ingreſſus ob ſpaſmodicam fibrarum talem contractionem fuit viſa; vel vtroque modo ſimul vitæ extinctio fit. In alium morbum abit, ſi vel tumor pedum ſequatur, ſanguine ita partibus balſamicis orbato, vt lymphæ circulus impediatur, & tumorem hunc efficiat; vel ipſe etiam hydrops, viſceribus vna obſtructis & debilitatis enormius. Aliquando lienteria ſuccedit, quando balſamicæ & actiuiores lymphæ partes, & ſpirituoſæ adſumtæ magis ſunt, adeoque menſtruum ventriculi iners magis redditum, elaterque fibrarum ventriculi & inteſtinorum debilitatus eſt ab hoc morbo. Scabies interdum dyſenteriam ſequitur, ſi lymphæ, huius culpa, acrimonia ſalſa, muriatica & recrementitia fuerit conciliata, & hinc non blanda & dulcis iterum euaſerit, correctione & ſeceſſu ſalium non perfecte obtentis. Tartareæ ſalinæ partes in dyſenterico corpore ſi vna eminentes fuerint, reliquis domitis, hæ actiuiores remanentes nonnunquam arthritidem, ſuperata dyſenteria, efficiunt. Tacemus alia mala, quæ, non decenter obtenta perfecta morbi huius correctione, euenire poſſunt.

§. XXV.

§. XXV.

Curatio dyſenteriæ poſtulat, vt 1) fermentum acre acido-bilioſum disiiciatur, 2) acrimonia lymphæ & bilis roſiua corrigatur, 3) fibrillæ inteſtinorum irritatæ demulceantur, & ſibi reddantur. Cum enim tam febris, quam irritatio inteſtinorum purgans ab hoc fermento dependeat, hoc disiecto & febris, & irritatio, ceſſabit, ipſiusque acrimoniæ dictæ vlterior productio refrenabitur. Quoniam autem lympha & bilis euolutas partes ſalino-ſulphureas in ſe iam continent, & effectum morboſum præſtent, hæ etiam corrigendæ erunt. Fibræ inteſtinorum autem tam ſentientes, quam mouentes cum ab obiecto irritante vehementius adficiantur, hæ etiam demulcendæ, & ſi vlteriorem læſionem inde adquiſiuerint, ſibi reddendæ & roborandæ ſunt.

§. XXVI.

Fermentum acre acido-bilioſum disiiciunt & corrigunt bezoardica & diaphoretica, minus autem volatilia vrinoſa, vel acida, ſed balſamica & roborantia ſimul, tam media, quam fixa. Conueniunt hinc tinctura bez. Wedel. eſſentificata, eſſentia alexipharmaca Stahlii, eſſ. pimpinellæ alb. ſcordii, eſſ. theriacalis balſamica, mixtura ſimplex rectificata; puluis bez. Sennerti, maior Wedelii, puluis Pannonic. ruber, ſpec. de hyacynth. lap. bez. lap. de Goa, pulu. dyſenter. Crollii, Michaelis, aliorum, electuar. de ouo, &c. cornu ceru. philoſoph. præpar. vt & vſtum, ebur ſine igne parat. dens hippopot. terra ſigillata, bolus Armena, terra Lemn. antimon. diaphor. antimon. mart. cach. & ſimilia. Huic indica-

tioni ſimul ſatisfaciunt, quæ reliquis conueniunt, vnde & apte his vel miſcentur, vel interponuntur.

§. XXVII.

Acrimoniam lymphæ & bilis roſiuam corrigunt, tam ipſa iam laudata bezoardica & diaphoretica, partim diſſipando ſalia peregrina, partim abſorbendo, quod faciunt inprimis fixiora & terrea ſimul, quam alia his iungenda. Sic acrimoniam hanc corrigunt, ſi, viſcido lento in inteſtinis remixta, iis adhæreſcat firmius, viſcidum blande reſoluentia, & reſolutum vna cum ſalino-ſulphureo acri euacuantia. Niſi enim hoc fiat, remanet & irritationem continuat, & adfluxum auget, ipſumque incrementum capit. Adfluentes enim humores, hoc non ſoluunt, ſed particulas relinquunt, huic iterum adhærentes, & viſcoſitatem ob calorem maiorem adquirentes. Aptiſſimum huic ſcopo eſt rhabarbarum, quod poſt euacuationem robur fibrarum relinquit, tum alias tum cum æquali quantitate nitri depurati, mixtum. Alii pilulas Becheri pro eodem ſcopo propinant. Circa ventriculi confinia tale viſcidum acrimoniam eiusmodi habens ſi hæreat, rad. ipecacuann. exhiberi ſolet, vt per vomitum blandum eliminetur. Sed hæc in initio morbi magis locum habent, non facile in progreſſu, niſi ſpecialiores circumſtantiæ id requirant. Alia autem purgantia & emetica, inprimis actiuiora, neutiquam hic conueniunt. Venæſectio vero aliena hic eſt.

§. XXVII.

Eandem acrimoniam etiam corrigunt alia abſorbentia, quam ſub bezoardicis iam contenta, vt lapis hæmatites, corallia, conchæ, mater perlarum, raſura

cranii

cranii humani, vnicornu veri, cryſtallus montana, ſpodium, ipſumque album Græcum, & ſimilia alia. Huius quoque conditiones ſunt puluis ſtypt. Crollii, Heurnii, Wedelii, albus & ruber, a quibus non tam adſtrictio noxia timenda eſt, cum alia interponantur & miſceantur, eandem prohibentia, quin potius magis decenter vna roborent.

§. XXVIII.

Corrigunt eandem ſulphurea blanda, vt cortex chaquerill. eiusque eſſentia, eſſentia millefolii, ſanguis draconis. Corrigunt ſulphurea anodyna, theriacalia, opiata; theriaca Androm. eſſ. eiusd. balſam. theriaca cæleſtis, diaſcord. Fracaſtor. maſſ. pilul. de cynogloſſ. eſſ. anod. extract. anod. quæ bezoardicis, abſorbentibus, aliisque apte miſcentur, & quædam etiam per ſe ſumi poſſunt, vt diaſcord. laudatum; eſſentia anodyna, eſſ. ther. balſamica mixturis recte additur. Quidam quidem reiiciunt anodyna, ſed ſatis his ab ETTMÜLLERO aliisque practicis feliciſſimis eſt reſponſum, nec quoque hic abuſus tollit vſum. Eo magis autem hic proſunt, quoniam non ſolum acrimoniam illam efficacius temperant, verum etiam, eductionem partium harum, & ipſius fermenti, per poros cutis iuuant & promouent.

§. XXIX.

Acrimoniam hanc temperant etiam ſulphurea gelatinoſa, quæ inuoluunt & obtundunt ſalia. Talia ſunt priapus ceti & cerui, ſanguis leporis, & agni exſiccatus, hepar ſerpentum exſiccatum, vt & viperarum, vngula equina, oſſa animalium philoſophice præparata, ob gela-

tinam ibi adhuc reſiduam, gummi Arabicum, quod quidam maxime extollunt, gummi tragac. rad. ſymphyt. mai. gelatina cornu cerui, eboris. Temperant quoque bilioſam acrimoniam nitroſa, ſed parcius reliquis mixta, vel in liquidis potius ſoluta & diffuſa, vt minime ſtimulum vel præbere, vel augere, poſſint, fibrillis enim nerueis ſic minime ſenſiles euadunt, & tamen bilem coercent.

§. XXX.

Temperant tandem diluendo, quæ ſerum blandum reſtituunt. Magis autem hic conueniunt, quæ ſimul partibus gelatinoſis gaudent vt decoct. hord. cum C. C. & ſcorzonera, decoct. priapi cerui, imo decoctum herbæ Thee vtilitatem aliquando præſtitit. Laudantur quoque hic emulſiones ex ſem. 4. frig. amygdal. dulc. ſem. pap. alb. vt & potiones ex aquis deſtillatis. Verum cum actu frigida adſumta, alias etiam bona, in dyſenteria malum effectum præbeant, melius ab iisdem abſtinemus, vel ingredientia ex his apta decoctis addimus. Commodum quoque eſt decoctum auenaceum ſibi relictum. Lac bubulum cum triplo aquæ remixtum, quod SYDENHAM laudat, calide hauſtum prodeſſe quidem poteſt, meliora autem ſunt decocta alias partes gelatinoſas continentia.

§. XXXI.

Tertiæ indicationi, ſecundum quam demulceri fibræ irritatæ & ſibi reſtitui debent, ratione prioris ſcopi iam dum vna ſatisfit per priora adducta. Dum enim obiectum irritans disiicitur, vim ſuam in fibras exercere non amplius ita vehementer poteſt, vt antea, ſique

acrimo-

acrimonia lymphæ & biles corrigitur, etiam obiectum irritans mitigatur, adeoque demulcentur vna fibræ nerueæ. Magis autem fibras dictas demulcent, quæ illas defendunt, ne adficiantur ab acrimonia, talia autem inprimis ſunt gelatinoſa & opiata, hinc & abſorbentia, & ideo tertiæ ſimul indicationi ſatisfaciunt. Et quoniam anodyna etiam adfluxum ſpirituum nimium temperant, eosque pacatiores reddunt, hæc quoque demulcent fibras irritatas. Quidam pro hoc fine laudant oleum amygdalorum dulcium, ol. oliuarum, ol. lini adſumtum, ſed non ſatisfaciunt hæc deſiderio, nec reliquis indicationibus reſpondent, inprimis enim fermentum febrile ſimul oppugnandum & expugnandum eſt, quod neutiquam a talibus expectari poteſt oleis. Adeoque iam laudata longe his anteferenda ſunt. Ad demulcendas fibras in torminibus vrgentibus, ubi flatus ſunt coniuncti, a quibusdam decoctum pugillare ſeminis carui inſtar herbæ Thee adhibitum commendatur, quod admitti poteſt, ſi nec calor maior ſit præſens, nec decocta temperantia interpoſita negligantur. Præter interna dicta externa remedia ad demulcendas fibrillas irritatas vtilia ſunt, vt ol. externum ex ol. hyoſciami plantaginis, rutaceo, chamomillæ, &c. additis ol. petræ nuciſt. mac. aniſ. carui, iuniperi ſucc. alb. ceræ & aliis, regionem dolentem his inungendo & ſacculum paregoricum calefactum imponendo, ex rad. galang. cal. arom. angel. zedoar. herba chamomill. cum tot. menthæ, abrotoni, flor. cham. R. melilot. verbaſc. ſem. carui, nuciſta, furfuribus triticeis vel aliis. Excretione copioſiori vna vrgente cataplaſma ex ther. Andromachi c. pulu. nuciſtæ vel oleo huius expreſſo, aliisque, ipſoque oleo carmin. Mynſicht.

Mynficht. vel fimili, regioni vmbilicali vel ventriculi impofitum leuamen adfert.

§. XXXII.

Inteftini recti fibræ circa exitum, fi ita irritentur, vt tenemus ægros torqueat, ad easdem demulcendas præter dicta fuffitus conueniunt ex floribus verbafci, gumm. anim. thure, maftiche, colophonia, &c. admisfo ad anum fumo, fi defidere fruftra cogatur æger. Clyfteres tam in torminibus, quam etiam in tenefmo proponuntur a quibusdam. Altius autem fi adfecta fint inteftina, illuc non penetrant, in recto inteftino autem ftimulus fi hæreat, aliquid præftare poffunt, fi terebinthinati fint, fed fine his expediri res poteft melius.

§. XXXIII.

Vigiliæ fi vrgeant, eodem modo, vt in febribus aliis, fibræ demulcendæ funt, opiatis bezoardicis confermentatis, vt diafcord. Fracaft. & reliquis, prudenter in vfum vocatis; vti & reliqua febribus communia fymptomata eodem modo, ac in his, mitiganda veniunt.

§. XXXIIII.

Fibræ inteftinorum in tantum fi irritatæ fint, vt erofio aliqualis fit, vel exulcerationis cuiusdam indicia fe exerant, ita fibi reddendæ funt, vt traumatica & roborantia reliquis mifcenda, vel interponenda fint, vt eff. traumat. W. effent. terræ Iapon. tormentill. biftort. hyperici, &c. balfamum Peruuianum, &, quæ alias in inteftinorum exulceratione proficua funt, exhibere tunc conuenit.

§. XXXV.

§. XXXV.

Spuria ſi adſit dyſenteria, cum ad diarrhoeam paulo intenſiorem pertineat, eodem quoque modo curari debet. Quod ſi autem tali tempore æſtiuo ingruat, vbi vera alias infeſtare conſueuit, ne fallamur facile ob latentem & mitiorem febrim, tutius eodem tractatur modo in principio ac dyſenteria, ſic enim æger nullum damnum ſubit, & poſtmodum tamen ea recte agi poſſunt, quæ ſtatus tunc certior redditus expoſcit. Hæmorrhoides etiam vna ſe exerentes quoniam cum euphoria magis fiunt, ſtatim innuunt, quid faciendum ſit.

§. XXXVI.

Omnibus laudatis indicationibus conformis debet etiam diæta eſſe, vt aer frigidus maxime vitetur, ſemper autem temperate calidus ſit, nimius autem calor æque eſſet noxius. Ne vero æger, deſidere coactus, refrigeretur, vel veſtimentis & tibialibus ad hanc rem commodis arceri aeris liberioris acceſſus debet, vel vas aptum, hanc in rem factum, tempore conatus accedentis ægro ſupponatur, vt deumbens deponere aluum commode queat. Cibus ſi deſideretur ab ægro, ſit facile reſolubilis nec vllam habeat acrimoniam ſenſilem, iuſcula proſunt auenacea & alia temperata; carnes pullorum, vitulinæ & aliæ teneriores, ſi appetitus adſit, non nocent, vt & aſſata leporina, moderata tamen quantitate; ſin abnuat æger, perſuadendus is non eſt. Potus cereuiſiæ defæcatæ, nec frigide, ſed calide, adſumtæ cibationis tempore non nocet, extra hoc autem potus ex decoct.

 hord.

hord. c. C. C. auenaceo decocto, & similibus, itidem calide haustus, vtilior est. Mature vt decumbat æger, initium mali si fiat, conducit, imo necessarium est, quies enim commendata tunc esse debet maxime. Somnus haud impediatur, sed, si vigiliæ vrgeant, aptis promoueri potest remediis. Animi adfectus fortiores omnes alieni sunt, tranquillitas eiusdem optima est. Transspiratio insensibilis conseruare sollicite debet, ita enim alui excretio præternaturalis reliquaque facilius superantur.

S. D. G.



NOBI-

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
RESONDENTI

GEORGIO LEOPOLDO WEYLAND

MEDICINAE DOCTORANDO DIGNISSIMO

S. D. P.

GEORGIVS ERHARDVS HAMBERGERVS.

DVO esse artis medicae fulcra rationem et experientiam, nullus artis peritus negat. Corpus humanum esse corpus physicum, peculiari mechanico modo structum, in quo perpetuae partium fluidarum fiunt motus, resolutiones et compositiones, hinc fundamenta artis medicae generaliora esse Mathesin, speciatim Mechanicam, Physicam atque Chimiam, specialiora vero, Anatomiam et obseruationes phaenomenorum in corpore humano quotidie occurrentium, probatione non eget. Vti igitur hae doctrinae secundum regulas logicas rite inter se combinatae primum Medicinae fulcrum, rationem nempe, constituunt, nec vllus Medicus, in hisce disciplinis hospes, rationalis dici potest, sic et contra is ne Medici quidem nomen meretur, qui haec sola,

 quam-

quamquam optime, intelligit. Non dicam jam Medicinam esse artem, hinc habitum, nulla theoria addiscendum, sed id volo, cum omnis theoria in generalioribus subsistat, nec specialissimae determinationes, in praxi summe necessariae, vel optimae theoriae ope, addisci queant, aeque pessime eum rebus consulere suis, qui sola theoria instructus, praxin exercere audet, quam qui, absque theoria, per meram expectationem casuum similium artem exercet. Te prudenter vitam egisse academicam, alterum quod iam edis eruditionis egregiae specimen, satis probat: nihil omisisti quod ad Theoriam addiscendam et certitudinem in Medicina obtinendam, requiritur, sed his minime contentus, praxeos praecepta omni studio Tibi reddidisti familiaria, hinc merito a gratiosa nostra Facultate Doctoris dignitas et jura Tibi conferuntur, de quibus ego Tibi Patriae vero Tuae, de Medico prudente et docto, gratulor, et, vt Benignissimum Numen laboribus Tuis practicis, ita porro, vti studiis Academicis, adsit, ex animo opto. Dab. Ienæ d. 13. Apr. 1740.

(* * *)